

3

DISSERTATIONIS HISTOR. LITTERARIÆ,  
DE  
SCRIPTORIBUS ET FONTIBUS  
HISTORIÆ  
**PHILOSOPHIÆ**  
**NATURALIS,**

PARS PRIOR,  
QUAM

AUCTORITATE AMPL. FAC. PHIL. REG.  
ACAD. ABOËNS.

*Publico Examini submittunt*  
AUCTOR

**ABRAH. NICOLAUS**  
**CLEWBERG,**

Phyl. & Histor. Litter. Docens,

ET RESPONDENS

**ALEXANDER LAURÆUS, Fil.**

Aboënsis.

In AUDIT. MAJ. Die XXI. Dec. Anni MDCCCLXXVI.

T. A. M. S.

---

*ABOÆ*

Impressit JOHANNES CHRISTOPHOR. FRENCKELL,  
Reg. Acad. Typogr.

S:Æ R:Æ M:TIS  
*Summae Fidei VIRO,*  
REGIS Regnique Svio-Gothici  
SENATORI,  
Cancellariæ Regiæ  
PRÆSIDI,  
*Regiæ Academiæ Aboënsis*  
*CANCELLARIO,*  
Ordinum Regiorum  
EQUITI ac COMMENDATORI,  
ILLUSTRISSIMO ac CELSISSIMO  
*COMITI & HEROI,*  
DOMINO  
**ULRICO**  
**SCHEFFER,**  
*MÆCENATI SUMMO.*

# CELSISSIME COMES!

*M*utuati decoris non est cupiditas, quæ me eo provexe-  
rit audacitæ, ut has paginas TUO ornarem Nominè; quip-  
pe cuius lumen a nævis meis reflexum, non potest non illos  
conspicuos magis reddere. Nec ut merita TUA proclaman-  
do venerationis publicæ echo fierem propositum fuit; fru-  
stra vox mea debilis, ut ut veritate confirmata, patriæ uni-  
versæ vocem interpretari conaretur; nec fas est SULLYUM  
nisi THOMA præcone laudari.

*H*oc vero opūsculum TIBI dicando, testatum facere  
volui desiderium, ad utilitatem publicam, rationi status mei  
proportionatam conferendi symbolam, & veritatis com-  
probationem TUO gratiosissimo assensu manifestandi.

*C*um annis & illustribus laboribus obrutus, onus Re-  
gni, post Regiis impositum cervicibus gravissimum, alaci-  
ter sustines; cum non nisi ex occasione bene de hominibus me-  
rendi dignitatem & honores aestimas; cum millenas inter-  
curas, omnibus praterquam TIBI sollicitudinem creantes,  
vitam consumis, quam non TIBI sed publico judicas debi-  
tam;

*tam; cum non tædet TE viæ, quam molestam reddunt &  
carduis constam ingratitudo hominum, vicissitudines rerum;  
tum sane suscepta pro TUA felicitate inculpata erunt vota.*

*Quid vero adprecemur Illi, Qui a GUSTAVO  
diligitur, Qui justitiam amat, Qui generi humano  
prodeesse vult, & quod vult potest? Non est mortalium, vir-  
tuti persolvere præmia; nec tamen ideo sua carenti merce-  
de. Existit enim ILLE, Qui eam dignoscit & sine admoni-  
tione compensat, vota ideo nostra supervacanea reddens,  
de quo qui dubitat meritum explendescens & NUMINIS  
justitiam offendit.*

*Olim quam hodie sæpius Magnorum Virorum memo-  
riæ statuis metallo vel marmore conflatis conservabantur.  
Hæ tamen, sape extortæ sanguine, metu eræctæ, tempus  
ferre haud potuerunt. Nostra ætate stabiliora monumenta,  
humanitati honorificentiora, acceptiora quoque iis, qui ea  
promeruere, conservandæ Heroum gloriæ impenduntur.  
In gratis animis tutior est custodia famæ, non vi & crude-  
litate, sed beneficiis partæ. Tale TIBI & OXENSTJER-  
NIO in Svecorum cordibus positum est monumentum, nec  
æternitati temporum, nec invidiæ hominum expugnabile.*

## **ILLUSTRISSIMÆ EXCELLENTIÆ TUÆ**

*Cliens devotissimus  
ABRAH. NIC. CLEWBERG.*



## §. I.

**R**enata proximis his Seculis forma scientiarum, singularæ disciplinæ, quarum olim alia segnius & diversis quidem temporibus excultæ, alia perorsus neglectæ fuerunt, jam æqualibus fere progressibus ad florē contendunt. Justo autem serius & segnius cultores sui allexit Historia Philosophica, qua tamen deficiente, Historia mundi, judice *Verulamio*, Statuæ Polypheui eruto oculo similis est, cum ea pars imaginis desit, quæ ingenium & indolem personæ maxime refert. Etsi enim prius sit ipsas scientias excolere, posterius earundem excultarum historiam condere, nihil tamen impediat, quo minus natales emicantium ordine veritatum & varia earum fata litterarum monumentis statim tradantur conservanda. Hodie certe aque prodest ac juvat certos adesse fastus, ex quibus mox depromi possint notitiae, quæ ex oblivione absentium seculorum difficilime repetuntur. Semper & a multis aeternitati consecrari solent nomina hominum, qui vel destructione generis sui insignes extiterunt, sed raro & a paucis idem præstari contingit memoria eorum, qui vel utilibus inventis egestati humanæ subvenerunt, vel meditatione limites facultatum intellectus nostri provexerunt (*a*). Iniquum igitur non esset si nos, qui horum beneficiis ingratii fruimur, si quid ipsi hominibus utile præstissemus, eodem contemptu puniret posteritas. Et quam-

A

vis

---

(*a*) Vide MONTUCLA *Hist. des Mathematiques*, Tom. I. pref.

vis omnino non defint, qui inventorum historiam ador-  
nare conati sint, oppido tamen paucos reperire licet,  
qui hoc opus nullis præjudiciis occupati, nullo partium  
studio fascinati, adgressi fuerunt. Sæpe usū venit ut ni-  
mio studio unius Scientiæ, penitus neglectæ jaceant hi-  
storiarum aliarum, quas tamen magis e re fuisset excolere.  
Hoc Philosophiæ Experimentali inprimis accidisse novi-  
mus. Quæ enim ante initium hujus Seculi prodierunt  
scripta historiam Philosophiæ Naturalis tradentia, ea ni-  
hil fere aliud nobis proponunt, quam inutiles doctorum  
hominum contentiones de primis rerum principiis, de  
elementis, de forma, de motu, aliisque id genus, quæ  
doctiorem reddunt neminem. Qui!! quod hæc erudi-  
tionis species multos rudiores quam antea efficiat; quæ  
enim, si ratione utaris naturali, satis clara & certa ad-  
gnoscis, ea sæpe non nisi obscura aut dubia invenies,  
ex quo ipsa rixis & tricis doctorum involuta videris.  
Nostris quidem temporibus multo quam antea pruden-  
tius a viris doctis tractari cœptum est hoc argumentum,  
sed nihilo tamen minus adhuc plenam, distinctam &  
secundum ordinem materialium digestam Historiam Phy-  
sices desiderare cogimur. Cujus quidem rei ratio in eo  
potissimum posita videtur, quod qui sata hujus Scientiæ  
litteris consignare aggrediuntur, raro ingenium Scientia  
Physica imbutum ad opus adferant (*b*), & si qui adfe-  
rant, eam tamen rarius conjungere soleant cum Scien-  
tiis Mathematicis, sine quarum connubio, solida naturæ  
cognitio frustra speratur. Nihil igitur mirum, quod i-  
doneam Historiam Scientiæ Naturalis exspectare non pos-  
sis nisi ab iis, qui in utroque disciplinarum genere, Phy-  
sico & Mathematico, probe versati sint. Si qui autem  
hanc

---

(*b*) Eadem causæ defectum Hi-  
storiæ litterariae in Mathematico-  
rum scriptis & inventis recenser-

dis tribuit VOLFIUS Elementor.  
Mathes. Tom. V, præf., pag. 2.

hanc laudem mereantur, ob eamque causam tanti operis capaces habendi sint, ii ad ipsam Scientiam, quam ad Scientiarum historiam diligentius incumbere solent, quippe quibus honoratius videtur suis ipsorum inventis, quam recensione alienorum inventorum inclarescere (c). Nihil vero tam obstat instituto, quam ipsa operis conficiendi vastitas. Adeo late patet natura & adeo foecunda est ejus consideratio, ut ex singulis phænomenis continuo nascantur nova. Tantæ igitur multitudini inventorum, quanta haec tenus in orbe eruditio adparuit, colligendæ, digerendæ aptoque ordine disponendæ, neque vita, neque memoria, neque patientia unius hominis sufficit (d), tantoque minus, quod singula phænomena innumeris circumstantiis, perfecto Scientiarum historico non negligendis, involuta sint. Has ubi vel prorsus neglexerint, vel parcus adtigerint antiquiores Historiarum Litterariorum conditores, irritam sibi operam sumeret, qui eas ex spissis ignorantiae tenebris eruere, erutas examinare & examinatas exponere adgredetur.

## §. II.

Ea autem est Scientiarum Naturalis ratio, ut multo quam olim magis nunc necessaria sit ejus historia. Quæ enim idoneis litterarum monumentis servata possidemus inventa, ea tot chartis fugitivis dispersa, tot vastis libris disseminata sunt, iis ut nullius nec fortuna comparandis

A 2

nec

(c) Neque raro occurunt exempla eorum, qui aliorum inventis suis immiscentes eadem sibi appropriate tacite student, veritatemque historiam obicem hoc pacto ponentes, saltem unde ea quibus gloriatur hauserint reticentes, par-

vipendunt monitum PLINII; plenum ingenui pudoris fateri per quos profeceris.

(d) Vide PRIESTLEY *Hist. de l'Electricité*. Tom. I. pref. pag. VIII.

nec diligentia perlustrandis sufficere queat. Unde facile adpareret, quantum temporis perire debeat investigatione eorum, quæ ante non primum modo inventa, sed ad summum quoque fastigium eyecta sunt. Si igitur tot antiquorum naturæ consultorum vel vera inventa, vel mera tentamina, quot humana industria colligi possent, uno in loco congregata & uni quasi obtutui obvia prostant, non tantum facilius perspiceretur quæ via vel multis trita, vel paucis calcata, vel nulli hactenus aperta fuerit, sed expeditior quoque aditus pateret, tum ad examinanda inventa, tum ad novas inveniendas veritates. Multis vero, qui amore naturalis scientiæ capiuntur, accidit, ut operam perdant quærendo ea, quæ vel ab aliis detecta sunt *a*), vel quorum inventionem humani ingenii vires superare, experientia & frustanea magnorum virorum conanima demonstrarunt. Aliis autem, nec Historia Scientiæ, nec notitia librorum imbutis, usu venire solet, ut quem primum inveniunt auctorem, hunc sibi ducem eligant, quo facto in absurdas methodos & rejeclas

(a) Sæpi libri prodeunt, quorum auctores multam sibi gloriam pollicentur novis, ut existimant, inventis, quæ ab aliis dudum fure aperta. Accidit hoc in doctrina Electricitatis nonnullis ex Anglica gente, Historia Litteraria fatis incuriosa, quamvis alias de scientiis meritisima. In ceterarum Physics partium historia non pauca ejusdem rei exempla occurunt; videtur autem in primis ex hac causa origa petenda prodigiose, qua obruimur, librorum multitudo. Exempla hue pertinentia ex mathematicis scientiis petita videri possunt in *Histoire*

*des Mathemat.* par MONTUCLA Tom. I. pref. pag. VI. sqq. His consentiunt etiam verba Cel. MARIAN: *La connoissance historique des faits & des decouvertes fert à nous diriger dans nos travaux, elle nous épargne la peine & le tems que nous mettrions peut être sans succès, toujours inutilement, à nous ouvrir des routes déjà tracées & où il ne s'agit plus que d'avancer.* *Eloge de M. BREMOND. Mémoires de l'Academie.* 1742. Quibus addi possunt, quæ in hanc rem adfert *Jac. BERNOULLI in Parallelismo Ratiocinii Logici & Algebraici. Oper. T. I.*

tas hypotheses saepissime incident, haud absimiles per egrinatori, qui nulla regionis, quam sibi lustrandam propositur, petitia geographiæ instructus, huc illuc temere vagatur, vel *Syllice & Dicæarcho* (b) præuentibus, ad desertas tantum vias & dirutas urbes pervenit. Deinde quum ars longa, vita brevis sit, & singulis singula scientiæ naturalis latifundia peragrare, singulaque experimenta repetere non liceat, sed semper necesse sit in multis aliena niti experientia, adhuc eo quoque nomine augetur necessitas Historiæ Philosophiæ Naturalis, quod viris etiam prudenterissimis saepius accidat, ut vel inviti, falsa veris, certis dubiis admisceant. Facile igitur in errores induceremur, nisi ad faciem historiæ perspicere possemus, quas mutationes passæ fuerint sententiæ, quæque vel in ratiocinando vel in experimentando vitia commiserint, qui viam nobis præiverunt. Hic etiam intellectu juvabit, quænam circumstantiæ erroribus originem præbuerint, intellectumque vel adprehensione ipsorum phænomenorum, vel in investigatione causarum solita sint impedire, ne verum a falso discernere valeat. Præterea cum nostro ævo non sine gravi causa eclectica philosophandi ratio etiam in Physicis invaluerit, eo magis necessarium est ex historia Scientiæ Naturalis cognoscere, quæ de singulis argumentis diversæ sint sententiæ eruditorum, quod in scriptis plerorumque non nisi auctorum opiniones inventiantur, idque ita, ut judicare nemini liceat, utrum earum, quæ stradit, veritatum inventor an compilator haberi debat. Dici autem vix potest, quantum adjumenti ad investigandam veritatem adferat sollicita consideratio discordantium doctorum opinionum (c), in primis ad curata-

A 3

recen-

(b) Antiqui Geographi.

(c) Les eséances de penées différentes, point de perfection où nous la vons. Si les anciens n'avoient usé, inquit RÉGNAULT, &amp; l'examen pour ainsi dire, un certain nombre de ces penées ont contribué, ce d'idées bizarres, dont le tems à semble, à amener la Physique au

recensio hypothesium (*d*), quas hi ad referenda phænomena naturalia excogitarunt. Quo enim pluribus ex causis arcessitur & quo pluribus modis explicatur unum idemque phænomenon, etiam si in nullo ineslet veritas, eo facilius sæpe est naturalem ipsius causam invenire. Historiam

*fait voir le ridicule en les montrant à diverses reprises & sous différentes faces; nous les saisissons ces idées; elles nous occuperont un certain temps, peut être toute la vie. Leur bizarrerie continue en a fait chercher de plus solides.* Origine de la Physique T. III. pag. 209. Quamvis autem his dictis ideo imprimis commendetur variarum opiniorum consideratio, quod inde, a quibus abstinentur sit, judicari possit, certo tamen modo etiam directe eadem ad veritatem detegendam conducunt. Est enim hæc pluribus errorum, præjudiciorum, possibilatatumque larvis circumvoluta & quasi vestita, quarum quo plures detractæ fuerint, eo nudior adparebit.

(*d*) Certum hoc nobis videtur, quidquid elamitent nonnulli, qui cum quosdam hypothesium amore in devisa raptos viderint, omnes hypotheses phænomenorumque a priori explications, ut pecciferas, rejiciunt. His enim, si quid mali præstiterint, id vitio vertendum non est, sed intellectui auctoris præjudicis assuetudo & animo propriis opinionibus inhærenti. Quidam tamen in hypotheses exstrudendis modus omnino tenendus, quod nisi fiat, inutilis saltu ja-

ctura temporis orietur. Sunt enim causæ phænomenorum novorum similes quantitatibus incognitis in questionibus algebraicis, ubi nulla sunt determinata. Absurdum tunc esset tentando invenire velle verum valorem incognitæ, cum hoc casu habeat iunumeros. Quo autem plura determinantur, eo magis minuetur numerus valorum posibilium, inter quos tentando tunc facilis, qui queritur, inveniri potest. Eodem modo, si causa phænomeni cuiusdam sit A, ejusque cognitio conjuncta cum notitia phænomenorum a, b, c, d, . . . facile adpareat irritam omnino sibi sumere operam qui, nullo horum perspecto, hypothesin ad inveniendum A fabricaret; quo autem plura ex adjunctis a, b, c, d, . . . detecta fuerint, eo probabilius & facilius est, ope generalium regularium ex his deductiarum, clavem ad extera etiam referanda necessarium detegere. Ex quibus etiam intelligi potest, quam frustranæ adhuc sint explications simplicium phænomenorum *attractionis, repulsionis, &c.* ex horum enim adjunctis a, b, c, d, . . . nulla innoteantur, si unum excipias, illas vires crescere inverse in ratione duplicata distantiarum, que

storiam vero Philosophiae Naturalis, quæ se omnibus his usibus (e) adcommodet, hactenus dedit nemo, verumque est quod suo jam tempore dixit Pererius: esse illam *opus arduum, a paucis suscepsum, nullo elaboratum, plurimis desideratum.* In dies autem singulos crescit difficultas; Nova enim inventa cumulantur, augetur veritatum cognitarum numerus, originem oblivio delet. Neque tantum in veritate investiganda & ab oblivione liberanda versandum est, sed etiam in debellandis præjudiciis & errorum monstris expellendis, quorum eo difficilius destruitur imperium, quo duraverit diutius.

### §. III.

Quum vero non prolus nulla habeamus scripta, quæ fata Philosophiae Naturalis illustrant, nemo autem, quantum quidem nobis cognoscere licuit, ipsorum Scriptorum dederit historiam, rem haud inutiliem nos putavimus facturos, si hoc argumentum præsenti dissertatione curatius tractandum sumeremus. Quos igitur defectus nobis

tamen regula tempore CARTESII, qui his explicandis plurimum operæ impendit, obscura adhuc erat, si non incognita.

(e) Non sicut propositum hac §. multifarium usum ex historia Physices redundantem plene expondere. Pleraque hue spectantia Historie Philosophie in genere applicari possunt. Juvat tamen adhuc adferre verba CEL. PRIESTLEY: *Quand une fois on aura présentée fidèlement tous les progrès & l'état actuel de chaque Science, je ne doute pas que nous ne vous commencer une ère nouvelle*

*& interessante dans l' histoire de toutes les sciences. Un tel tableau complet & précis de tout ce qui a été fait jusqu'ici, ne pourrait manquer de donner une nouvelle vie aux recherches Philosophiques. Il suggérereroit une infinité de nouvelles expériences & sans doute accélérereroit beaucoup les progrès des connaissances, qui se trouvent actuellement retardées en quelque sorte par leur propre poids & par la confusion mutuelle de leurs différentes parties. Hist. de l' Electr., T. I, préf, p. XXVII,*

nobis in tanta librorum penuria, quanta laborare cogimur, supplere permiserit fortuna, eos hic pro ratione ingenii exponere constituimus, pleniorem argumenti tractationem relinquentes aliis, quos vel natura vel fortuna amplioribus facultatibus instruxit. Ita vero in hoc argumento versari animus est, ut primo quidem eos recensemus Scriptores, qui Scientiæ Naturalis historiæ universalis consignandæ fategerunt, deinde ad eos progrediamur, qui idem argumentum aliquanto specialius tractarunt, suas curas vel ad certam temporis epocham, vel ad certam duntaxat materiam adstringentes; tandem vero pedem moveamus ad detegendos fontes præcipuos, unde historia hujus Scientiæ, sive auctorum, sive librorum cognitionem spectes, hauriri possit. Ne vero nimis sterilis hæc nostra videretur tractatio, si nihil præter nudos librorum titulos contineret, subinde simul adducere voluimus nonnullas observationes de constitutione generali Historiæ Philosophiæ Naturalis, quas neque inutiles neque ingratas fore speravimus. De cætero hoc præcipiendum videtur lectoribus, ne opellex nostræ nimis latos putent cancellos. Neque enim materiam ejus ingredi volumus Historiam Astronomiæ, Chemiæ, Medicinæ aut earum rerum, quæ ad Historiam Naturalem pertinent. Contenti namque fuimus notione nominis, qua Physica scientiam tantum de communibus corporum affectionibus indigitat.

## §. IV.

Primus igitur omnium, qui fata Physices universali exposuerunt, nobis habendus videtur Job. Andr. SCHMIDIUS (a), qui teste Reimanno (b), Dissertatio-

(a) Theologus Lutheranus polygraphus, vixit 1652 - 1726.

(b) Histor. Litter T. I. pag. 57.

nem de *Sectis Physcorum in genere* edidit (c). Huic proximum iponendum judicamus *Mieb. Bern. VALENTINUM*, (d) qui separatam dedit *Historiam Physices Experimentalis* (e) itemque *Dissert. de ortu & progressu Philosophiae Naturalis* (f). Eum excipiet *Georg. PASCHIUS*, auctor notissimi libri de *Inventis Nov-antiquis* (g), cuius Cap. II. *Historiam Physicæ veteris cæterarumque Scientiarum* breviter exponit, cap. vero VIII. faciem *Physicæ recentioris* atque *Matheleos curatius delineat*. Fusius hoc argumentum tractavit *MORHOFIUS*, qui *Polybistoris Tomi II. Librum I.* totum *Historiæ Physices consecravit*. Ita vero in hoc negotio versatur, ut Parte prima *historiam tradat fontium Physicæ Mosaicæ nec non Ægyptiorum, Sinensium & Judæorum, Pythagoræorum, Jonicorum & quæ fuere reliqua Græcorum Sectarum nec non recentiorum novatorum usque ad Cartesium*, comparationemque & conciliationem veterum inter & recentiorum Sectas instituat; in Parte autem Secunda, *historiam ipsorum dogmatum secundum materiæ ordinem disponat*. Huc etiam pertinent *Job. VALLERII & Petri ELVII Dissertationes duæ de fatis Philosophiae Naturalis* (h). *Christ. JUNCKERUS* (i) in lineis primis eruditionis universæ & *Historiæ Philosophicæ* (k), generaliter successionem sectarum earumque de rerum naturalium principiis opiniones perlequitur. Hujus loci etiam est *Lud. Henr. RUNGII oratio de fatis & mutationibus quibus obnoxia fuit ars medica cum scientia naturali, ratione utriusque*

B

usque

(c) Jenæ 1676. 4.

(d) Medicus Gieslensis, vixit 1657 - 1721.

(e) Gissæ Hassor. 1688. 4.

(f) Gissæ Hassor. 1701. 4.

(g) Prodiit primo 1693. 8. Kiloniæ, postea vero Lipsiæ 1700. 4. auctior, sub titulo: *De novis in-*

ventis, quorum? accuratiore cultus faciem prætulit antiquitas.

(h) Upsalia 1713. 1716. 8.

(i) Direct. Gymnasii Altenburgensis, vixit 1668 - 1714.

(k) Prodiit primo Altenb. 1714. 4. pag. 141 - 158. nostri sunt argumenti.

usque ortus & progressus, ad hodiernum usque illarum statum (l), nec non Job. Pet. de CROUSAZ, de Physicæ origine, progressibus ejusque tractandæ methodo, prælectio (m). Cum Cel. Heumanno (n) huc etiam jure referimus J. F. BUDDEUM in Tomi I. Philosophiae Eclecticae Cap. I. & Thom. SPRATUM in prima parte lucæ Historie Societatis Scientiarum Regie Academie Londinensis; Quod vero laudatus modo Heumannus in hanc quoque censem venire iusserit Jo. FREINDIUM, id in nævis magni viri ponendum arbitramur. Quod enim opus Freindius annis 1726 & 1727 lingua anglica edidit, non Physici sed Medici est argumenti. Fraudii Heumanno fuisse videtur titulus libri, qui anglice nomen præfert *Physick* (o), quo Angli non Physicam sed Medicinam intelligent, ad eundem modum, quo nos medicos certorum locorum Physicos adpellare solemus. Fata Physicses etiam Ren. RAPIN in *Reflexions sur la Physique* (p), breviter delineavit. REIMANNUS in *Historia Litteraria* (q) Historiam Physics, in primis Germanorum, prolixe satis, pro more suo, tradit, in Physicorum vitis enarrandis plurimum occupatus. Præcipuus in hoc argumendo liber esse videtur *L'origine ancienne de la Physique nouvelle par le P. REGNAULT* (r). Qui Tomo I. quæ recentiorum Physica ab antiquorum mutuata est expo- nit, Tomo II. gradum, quo hanc illa præcellit, To- mo III. causas, quæ illam ad præsentem perfectionem perduxerunt, ostendit. Hic tamen auctor pro antiquita-

(l) Bremæ 1716. 4.

(m) Groningæ 1724. 4.

(n) Histor. Litt. Cap. V. §. XXII.

(o) Est enim verus libri titu-  
lus: *History of Physick*. Nemo au-  
torum, qui scripta FREINDIIenumerarunt, mentionem fecit Hi-  
storiae Physics.(p) In operum T. II, pag. 432  
- 463. a la Haye 1725. 12.(q) Halle 1708. 8. Pars III,  
pag. 504 - 747.

(r) Paris 1734. T. III. 8.

tis præjudicio scribens, non satis fidus esse lectori potest in omnibus, multa etiam levia, nec pauca a re aliena profert. Sub præsidio SAM. DURÆI, Professoris Phys. Upsal. Celeberr. edita est a Claudio Job. EEK Dissertatio sistens *Historiam Philosophicæ Naturalis* (*s*), quæ generalem conspectum incrementorum hujus scientiæ ab antiquis ad nostra usque tempora succincte exhibet. Nec prætereundus est Cel. SAVERIEN, qui in oratione præmissa volumini VI. Operis *Histoire des Philosophes Modernes* (*t*), hanc quoque materiam generaliter tractavit. Historiam Litterariam Physics dedit STOLLIUS in Cap. IV. *Historiæ Litterariæ* (*u*) universæ. Sunt præterea nonnulli, qui in Systematibus suis Physicis, historiam hujus scientiæ simul delibarunt, utpote supra nominatus SCHMIDUS (*x*), Herm. CONRINGIUS (*y*), S. C. HOLL-MANNUS (*z*) aliique (*aa*). Cum vero brevia & jejuna plerumque sint, quæ hi tradant, eorum mentionem brevitätis gratia omittemus. Refert Placcius (*bb*) Mart. FO-GELIUM paratum habuisse librum, qui prælo subjecetur, de Historia Physicorum, illum vero lucem nunquam vidisse existimat REIMANNUS (*cc*). Præterea etiam Struvius (*dd*) mentionem facit Systematis Physici MS:i a MOR-

B 2

HOFIO

(*s*) Prodiit pars I. Upsaliæ 1754.  
Pars II. ibid. 1758. 4.

*ses exploravit & quid verosimile  
sit, detexit, ita copiose quoque son-  
tes nominavit, ex quibus plura  
hauriri queant.* BRÜCKER Hist.  
Phil. T. V. p. 615. n.

(*t*) Paris 1768. 8.

(*aa*) Ut pote Hon. FABRI, A.  
RUDIGERUS, CLERICUS &c.

(*u*) Generalia præsertim judicia  
de auctoribus librisque tradit.

(*bb*) In *anonymis, detectis* Cap.  
V. pag. 30.

(*x*) Teste REIMANNO Hist. Litter.  
T. I. pag. 57.

(*cc*) *Histor. Litter.* T. I. pag. 284.

(*y*) In tractatu *de natura Physi-  
cæ ejusdemque auctoribus*. Helmst.  
1654. 4.

(*dd*) *Biblioth. Philos.* Cap. V.  
pag. 30.

(*z*) *Quemadmodum vir erudi-  
tissimus in institutionibus Physicis  
plerorumque recentiorum hypothet-*

HOFIO consignati, quo Scriptores Physicos secundum Sectas recensuerit. Illud autem adhuc in scriniis privatis latere probabile est, nisi idem fuerit ac supra laudatus Polyhistor Physicus. Separatam Physices historiam etiam pollicitus est Cel. J. E. KAPPE (*ee*), quod tamen promissum an expletum fuerit, nobis non innotuit. Plura universalem Philosophiae Naturalis Historiam spectantia, hauriri possunt ex *Tb. STANLEII*, *Jac. BRUCKERI* & liorumque Historiis Philosophicis.

## §. V.

Sufficientem Historiae Physices cognitionem ab aucto-ribus §. præcedenti nominatis hauriri non posse, facile judicatu erit omnibus, quibus eorum methodus perspecta est. Plerique enim, Sectarum divisionibus & subdivisionibus explicatis, aut virorum illustrium fatis & dogmatibus enumeratis, partes suas se strenuo egisse existimant, phænomenorum experimentorumque historia plane omissa. Non igitur actum agere censendi sunt, qui cum his lectionem conjungere jubent scriptorum, qui specialius in hoc argumento sunt versati. Inter quos primo se offerunt, qui de antiquorum Philosophorum placitis physicis generatim scripsere. Quamvis enim proximis præteritum seculis debeat Physica quidquid in ea præstitum est boni, nonnulla tamen haud contemnenda etiam apud antiquos invenias. Mirum autem est in tanta penuria rerum, tantam fuisse apud illos librorum auctorumque copiam. Erat vero illorum temporum mos, non quid esset, sed quid esse posset, non quid magis verum, sed quid minus absurdum videretur, investigare. Verum autem cum unicum sit, fallum infinitis modis sub

sub probabilitatis specie varium, fieri non potuit, quin eorum philosophandi methodus, conjecturis magis quam experimentis nixa, amplam illis opinionum scriptorumque materiem suppeditaret. Magis vero adhuc mirari convenit, magni cæteroquin judicii viros, luce nostrorum temporum deserta, in istis tenebris per totam vitam oberrare, atque ex sterili antiquæ Philosophiæ chao fructum voluptatemque sibi polliceri. Hi saepe prolixis & laboriosis disquisitionibus absolutis & multis vastisque voluminibus perlectis, egregium quid se detexisse existimant, dum Philosophum dudum cœlo dicatum de re quadam aut nihil, aut absurdum, aut quid lippis & tonsoribus notum affirmasse gloriose demonstrant (*a*). Quo quidem modo feliciter assequuntur quem ex hisce studiis provenire fructum afferit Burnetius: *Quid restat de singularum gentium philosophia, cum queritur, ubi nihil restat, etiam illud scire est proficere* (*b*). Tanto vero utilius his inquisitionibus perditur tempus, quod quæ veterum sententias offuscant umbræ, ex nunquam ita dispellantur, ut non innumera dubia supersint & ex ipsis explicationibus nova quotidie oboriantur involucra (*c*). Non tamen diu vexatam de antiquorum & recentiorum certamine quæstionem denuo excitare nunc

B 3

ani-

(*a*) Horum stultitiam depingit Cel. KÆSTNER in ROHRS *Physikalische Bibliothek*. Leips. 1754 p. 12.

(*b*) *Archæol. Philosop.* p. 343.

(*c*) Multo certe magis nostra interest scire quid verum sit, quam quid verum esse dixerit PLATO aut ARISTOTELES. Memorabilia sunt Ce. BATTEUX de hoc argumento verba: *Ne seroit il pas temps enfin après tant de si longs commentaires & tant de fois re-*

*battus sur les livres anciens & surtout après tant de découvertes modernes, faites par l'étude directe de la nature de reduire aux termes, qui lui conviennent, une étudation triple & laborieuse, qui ne nous apprend rien? Cette réduction fut elle fautive - - elle vaudra mieux encore que des longues & sèches discussions, qui n'aboutissent le plus souvent qu'à faire naître un doute inutile, ou à retrouver,*

animus est, multumque abest, ut illis eruditionis & inventionis gloriam detractum iri velim (e). Aequa tantum lance singulorum merita pensitanda sunt. Ita enim existimo, esse cujusvis inventi gloriam in ratione composita ex directa ponderis rerum & inversa luminis temporum. Hodie quam olim facilior est inventio. Terræ incultæ difficilis saepaque infructuosus labor impenditur, bene exculta centuplum fructum reddit. Ardua per loca deserta primis peregrinantibus via est, horum vero ope sequentibus fit expeditior, ut ad fontes cæteraque incognita viatorum solatia facilior detur penetratio. Quamobrem postulat æquitas, nec utilitas renuit cognitionem comparare Philosophiæ Naturalis veterum. Discantque ex illius fatis Philosophi, quanta sit imbecillitas ingenii humani, quam rudis ejus infantia, quam lenti lapsibusque obnoxii illius progressus, quotque erroribus una saep redimatur veritas.

### §. VI.

Inter veteres Physicæ Historicos primus locus tribuendus est ARISTOTELI, si verum est, quod contendit Sam. Petitus (a), illum veterum Physicorum ordine alphabetico libris numerotorum, scita & decreta explicasse

une vieille erreur oubliée depuis deux mille ans. Si nous n'entendons la pensée de Platon après des efforts suffisans, laissons Platon & étudions la chose en elle même. Cela est d'autant plus juste, que quand même nous entenrions la pensée de Platon, nous serions encore obligés de la vérifier par l'étude même de la chose. Histoire des causes premières, Præf, pag. VI, sqq.

(d) Veteres Philosophos, inquit JUNCKERUS, noli contemnere, ex inepto aliquo vel præcipitantia vel auctoritatis præjudicio, præstigm a te ipso non letos, cum non omnia ab iis dicta falsa sint & recentiorum sententiarum sape aut non magis veræ, aut re cædem, verbis alienæ. Lineæ primæ Erudit. p. 156.

(a) PETITI Miscellan. IV, 8.

se vel refutasse. Quidquid sit, certum est hoc *Aristoteli* opus hodie non superesse (b). Conservati autem sunt PLUTARCHI de placitis Philosophorum naturalibus libri V. inter optimos veteris philosophiae fontes numerandi. Huc etiam referri merentur Eclogae Physicae Jo-  
ban. STOBÆI (c), qui multas Philosophiae Naturalis veterum reliquias summa diligentia conservavit. Laudem quoque meretur liber, qui sub titulo, ORIGENIS Phi-  
losophumena, prodiit. Græcorum ille dogmata naturalia, teste Regnault (d), accurate exponit, multaque refert alibi frustra querenda. Nec prætereundus hic est SCIPLIONIS AQUILIANI (e) liber rarus de placitis physicis Phi-  
losophorum, qui ante Aristotelis tempora floruerunt. Bened.  
PERERIUS de communibus rerum naturalium proprietatibus  
(f), libro IV. Veterum Philosophorum dogmata physica solide exponit, Scholasticorum etiam aliorumque physi-  
corum opiniones recenset. Veterum de ovo mundano fenantias Dissertatione peculiari præside Jo. Andr. SCHMI-  
DIO erudite exposuit M. G. TENZELIUS (g). Tb. BUR-  
NETIUS in Archæologis Philosophicis (h) theoriam an-  
tiquam telluris ex instituto tradit & Historiam quan-  
dam

(b) Vid. de his JONSI Scriptoris Historia Philosphica p. 56.

(c) Vixit J. STOBÆUS Secu-  
lo 4. vel 5. & reliquit Florilegium  
eleborum apophthegmatum & vitro  
præceptionum, quod inutilum ad  
nos pervenit, editumque est sub  
titulo Eclogarum A:o 1575. fol. Li-  
bris. II. quorum prior Physicas,  
posterior Morales complectitur.

(d) Origine de la Phys. T. I.  
p. 1-6. Errat autem REGNAULT  
dum auctorem hujus libri celebrem  
illum ORIGENEM esse existimat.  
Est enim hic auctor pseudonymus.

Vid. BRUCKERI Hist. Philos. T. I.  
p. 33.

(e) De hoc vid. FABRICII Bi-  
blioth. Gr. Lib II. Cap. XXIII. §. 1.

(f) Colonice 1618. 8. Non con-  
tentendus auctor, qui a Schola-  
sticis, quos inter vixit, non dubi-  
tavit in multis recedere, meliori cer-  
te dignus aeo.

(g) Jenæ 1693. 4.

(h) Archæologie Philos. subjun-  
cta sunt operi de Theoria Telluris  
Sacra, dum Amstelod. 1699. 4:0  
auctius prodiit.

dam Philosophicam contexit, quod eas veterum spectat opiniones, quae rerum origines rimantur. Idem ferre argumentum tractat auctori anonymus in *Histoire des sentimens des anciens touchant les atomes ou les corpuscules des quels tous les corps sont composés* (i); itemque aliis in libro: *Les principes de la nature suivant les opinions des anciens Philosophes, avec un abrégé de leurs Sentimens sur la composition des corps* (k). Huc quoque pertinent Job. Ant. VULPII *Syntagma de veteribus Philosophis*, libro I. *Physicorum*. ab Aristotele memoratis (l), in quo singulorum intentiæ de rerum naturalium principiis breviter & summatim exponuntur. Sub præsidio Cel. Job. BROWALLII edidit Job. PALIN dissertationem de primis Scientiæ Naturalis initiis (m), quæ tamen generalior est vixque prima limina attingit. Refert Ropimus (n) Italum quendam nomine RUCELLAI opus de universa veterum Physica contexisse, in quo ex omnibus, quæ illi de naturali Scientia reliquerunt, triginta sex Systemata exstruxerit, an vero illud publicam lucem unquam viderit, dubitamus (o).

### §. VII.

Prius vero quam ad specialiora nos convertimus,  
haud

(i) Pleraque sumta sunt ex *System. Intellectual.* CUDWORTHI. Vid. *Bibliotheque Chois.* de J. le CLERC. T. I. p. 63-158.

(k) 1726. 1 Voll. II. 8. Multum operæ impedit explorandis dogmatibus physicis veterum. Vid. ROHRS *Physikal. Biblioth.* pag. 28.

(l) Adjectum est hoc Syntagma ejusd. *Schol. 2. de ARISTOTELE* Patavii 1728. 4.

(m) Pars Prior Aboe 1744 prodiit, Posterior nunquam fecuta est. Ratio instituti auctoris patet ex p. 3. ubi non de omnibus omnium, inquit, partium naturæ cognitionis originibus, sed tantum de antiquissimarum antiquissimis incunabulis dicere animus est.

(n) Vid. *Sas Reflexions* p. m. 418.

(o) Vid. STOLLI *Histor. Litter.* Cap. IV. § III.

haud incongruum videtur certos ponere limites, qui fata Philosophiae Naturalis temporis ratione in diversas periodos distinguant, tum ut melius appareat ordo & successio scriptorum, quo & confusio evitatur & juvatur memoria, tum ut ubi maxime deficiant facillime pateat; *Prima* igitur periodus ea continere videtur, quæ de Barbararum (*a*) gentium Philosophia Naturali **ex** caligine temporum extrahi poslunt (*b*). *Secunda* commode comprehendit lætiora fata Physices, præsertim apud Græcos, usque ad constitutionem Monarchiæ Romanæ. *Tertia* a monarchiæ Romanæ primordiis, scientiis caput efferentibus, mox vero oppressis, per tenebras & deserta ad renatam Physicam tempusque BACONIS VERULAMII procedit. *Quarta* ad nostra usque tempora historiam perducit. Circa hæc obseruare licet, diversos auctores diverso modo periodos constituisse, nec qua ratione constituuntur multum intereste, modo distinctis finibus gaudeant singulæ. Nostra divisio partim spatio temporis, partim rerum copia nititur. Prima periodus maximum temporis intervallum, minimum rei momentum comprehendit. Omnes ita fere sunt ordinatæ, ut summæ temporis & inventorum in singulis sint circiter æquales.

## C

## §. VIII

(*a*) Nempe Schytarum, Celtarum, Æthiopum, Indorum, Assyrorum, Chaldaeorum, Persarum, Phœnicum, Hebreorum, Ægyptiorum &c.

(*b*) Hujus loci non est contra eos disputare, qui originem Physices ut & ceterarum scientiarum a mundi primordiis repetendam esse contendunt. Neque enim hoc negari potest, si per Physicam intellexeris quancunq[ue] rerum naturalium peritiam; tunc vero i-

dem inter scientias erit ordo natitatis, qui fuit idearum Adami prima die creationis. Fuit certe ille doctus Astronomus, vidit enim Solem oriri & occidere, fuit egregius Physicus, vidit enim aquam esse fluidam, materiam gravem & impenetrabilem; fuit insignis Historicus naturalis, cum non potuerit non lapides ab animalibus, hæc vero a plantis distinguere.

## §. VIII.

De Philosophia Naturali Barbarorum nemo, quod sciam, ex instituto scripsit præter BURNETIUM, qui in *Archæologiis Philosophicis* (*a*) doctrinam eorum de origine rerum (*b*) proponens, non dogmata tantum recenset, sed fontes etiam superstites, ex quibus hauriri queant, ostendit. Alii si desiderentur, consulendi sunt partim qui historiam Philosophie Barbaricæ in genere consignarunt, ut HEURNIUS (*c*), KORTHOLTUS (*d*) aliquique, quorum recensionem exhibet Morhofius (*e*), partim totius Historiæ Philosophicæ scriptores. Cum tamen etiam inter Barbaros numerentur *Hebrai*, huc referri posse videntur, quæ de placitis Physicis Sacrorum Librorum scripta sunt (*f*). Hæc inter primum locum tenet Fr. VALESII *de iis*, quæ physice scripta sunt in libris sacris, liber (*g*). Cui addenda Job. Jac. SCHEUZERI *Physica Sacra* (*h*), quamvis hæc ad Historiam Naturalem magis pertinere videatur, nec non ejusdem Auctoris de *Physica Hjobi* tractatio singularis (*i*). Recen-

(*a*) Lib. I. Cap. II - VIII.

(*b*) Supra observavimus totam antiquorum Physicam commentis quibusdam de principiis & generatione rerum fuisse absolutam.

(*c*) *Barbaricæ Philosophie Antiquitatum libri II.*

(*d*) *De Philosophia Barbaricæ origine & progressu*. Jenæ 1560. 4to.

(*e*) *Polyhist.* Tom. II. Lib. I. Cap. .

(*f*) Facile cuique patere existimamus nobis hoc loco sermonem non esse de *iis*, qui Verbo Divino Philosophie Naturalis adi-

ficium superstruere conati sunt, atque illud mirissimum ad suas quisque opiniones detorquendo, novam quandam Philosophiam Naturalem contexerunt, cuius, observante FRUCKERO, fundamentum emanatio a Deo, finis enthusiasmus erat.

(*g*) Primum prodidisse videtur Lugdun. 158. 8.

(*h*) Huic libro præfixus est index auctorum, qui de eodem argu- mento scripserunt.

(*i*) *Hjobs naturlehre*, Tiguri 1721. 8.

tior his est *Job. Jac. SCHMIDII Biblisches Physicus und Hyperphysicus* (*k*), quo loca Sacri codicis Philosophiam Naturalem concernentia recensentur & explicantur.

### §. IX.

Græcorum Philosophia Naturalis primum a Poëtis (*a*) exulta fuisse videtur, quorum plerique *nocturnorū* si-  
ve poemata de ortu mundi scripsisse feruntur. Ex hoc  
genere ORPHEI, quem magni facit, placita naturalia  
exponit *Burnetius* (*b*). Mentio quidem fit apud *Morbo-  
fum* (*c*) tractationis a Gallo quodam *Job. Fr. GRAN-  
DIS* conscriptæ, de Philosophia Orphei, qua accuratissi-  
me ejus doctrinam naturalem complexus est, num vero  
publicam lucem aspicerit, ipse dubitat. Parum autem  
ex istis poëtarum fabulis utilis scientiæ lucramur, quam-  
vis omnem sapientiam & Philosophiam in illis recon-  
ditam existiment quidam antiquitatis adulatores (*d*). So-  
lidiores autem Scientiam Naturalem Græcorum initium  
ducere existimamus a *Thalete* & *Pythagora*, qui eō-  
dēm fere tempore viventes, philosophandi methodo  
multum distincti (*e*), duas diversas Sectas condidere, *Io-  
niam* & *Italicam*. Historiam Physices Sectæ *Jonicae* il-  
lustrant due Dissertationes *Jo. Andr. SCHMIDII*, Jenæ  
C 2 editæ,

(*k*) Leipz. 1748. 8.

(*a*) Horum præcipui fuere *Tha-  
lyras*, *Linus*, *Orpheus*, *Musæus*,  
*Empedocles*, *Hesiodus* & *Homerus*.

(*b*) Loc. cit. Cap. IX.

(*c*) *Polyhist.* T. II. Lib. II.  
Cap. VII. §. 3.

(*d*) Qui ut sapientiam Physi-  
cam in Homero demonstrant, ad-  
ferunt quod columbas timidas vo-  
cet, aquilam acerrimam avium,

draconem herbas mortiferas edere,  
cygnos longo collo ornatos, cer-  
vas imbellies, perdicem velocem,  
mulos fortibus ungulis præditos,  
tauros latæ frontis &c. Vid. BRUC-  
KERI Hist. Philo. T. I. p. 426.

(*e*) *Thales* observator timidus  
& exactus NEWTONO, *Pytha-  
goras* audacis ardentisque ingenii  
CARTESIO similis videtur.

editæ, quarum altera de *Anaxagoræ* vita & Philosophia agit (f). Ad eandem quoque historiam apprime faciunt tractationes *Jac. THOMASII*, quæ Tom. II. *observationum selectarum ad rem litterar. spectantium* sunt inferæ (g). Italicæ Sectæ Physica (b) ex *Joh. Jac. SYRBII* *bistorica introductione in Physicam Pythagoræorum* (i) innotescit. Ad cognitionem Philosophiæ Naturalis Stoicorum pertinent *Justi LIPSII* de *Physiologia Stoicorum* Libri III. nec non *Jac. THOMASII* de *Stoico mundi exustione* (k). Quæ ex *Democriti* (l) Physica supersunt, in primis *Joh. Chrysost. MAGNUS* in *Democrito reviviscente* colligit & exposuit. *Epicuri*

(f) Sectam Jonicam Physicæ tantum fuisse deditam, totamque ejus philosophiam scientia naturali absolvı, plurim testimoniois demonstrat *STOLLIUS* in *Hist. Litt.* Parte II. Cap. IV. §. 4.

(g) In XV:a harum observationum explicatur sententia *Anaxagoræ* de nigredine nivis, in XVIII:a dogma *Thaletis*, quod aqua sit principium omnium rerum. In XIX:a de primo rerum elemento *Anaximenis* & *Anaximandri* duæ opiniones exponuntur. In XX:a de dogmatibus Philosophorum Sectæ Jonicæ circa primum principium locus *Augustini* cum alio *Sidonii Apollinar.* confertur. In XXI:a de primo rerum ortu Philosophorum Sectæ Jonicæ inter se, & cum dogmatibus præcedentium & sequentium Philosophorum Græcorum conferuntur. Vid. *STOLLI Hist. Litter.* T. II. Cap. IV. §. 8.

(h) Pythagorici, quamvis nu-

meris & figuris hieroglyphicis Physicam suam obvelarint, tamen eo nomine laudandi videntur, quod Geometriam & Arithmeticam ad referenda naturæ phænomena conferre existimaverint. Vid. *KEL. Introd. ad veram Phys. & Astronomiam*. pag. 12.

(i) In libro: *de Pythagora intra sibodenem noscendo* Jenæ 170. 8.

(k) Præmissus est Ejusd. Dissertationibus ad *Sectæ Philosoph. & ceteram Philosophicam Historiam* pertinent. Lips. 1632. 4.

(l) *Democritus & Epicurus* Physicam mechanice magis tractabant quam reliqui, certis enim corporum qualitatibus, in Atomorum & particularum figura & textura consistentibus, suppositis, per Mechanicarum legum ad illas applicationem, phænomena explicanda esse statuebant. *Democriti* principia inter recentiores in primis evolvit *Rob. BOYLE*,

picuri autem Philosophiam Naturalem Petr. GASSENDI in parte II. Syntagmatis Philosophiae Epicuri exhibuit. His addi etiam potest Nic. HILL Philosophia Epicurea, Democri-ten & Theophrastica (m), Heracliti Physicam (n) illustrant D. Gottfr. OLEARI dissertationes duæ, altera de prin-cipio rerum naturalium ex mente Heracliti, altera de re-rum yacea, ex mente ejusdem (o). Physicam vero Hip-pocraticam edidit Job. Dan. HORSTIUS (p). Scripsit etiam C. GALENUS Libros II. de elementis ex sententia Hippocratis. Historiam Philosophiæ naturalis Aristotelicæ (q) nemo ex instituto delineavit. In ejus tamen scripta, in primis libros Physicorum, fere innumeri exstant commentarii (r), quos legant it, qui alia quæcunque,

C 3 quam

(m) Genf. 1619. 8.

(n) Hac nulla est obscurior. Heraclitum, quoniam quid diceret, intelligi noluit, omittamus. CICERO de Nat. Deor. 3. 14.

(o) Prior Lipsie 1697. Posterior ibid. 1702. prodidit. Insertæ autem sunt STANLEII His-toria P. Joseph. pag. 839-869.

(p) Francof. 1682. Distincte ab hoc numerat JÖCHER in gelehr-ten Lexic. Ejusd. compendium Phy-sicæ Hippocraticæ.

(q) Illius id præcipuum meri-tum est, quod convenientes phæ-nomenis terminos adhibeat, apta-que det nomina actionibus natu-ralibus, quibus discerni a se invi-cem possunt. Vid. KEIL loc. cit.

(r) Nemo sere interpretum A-RISTOTELIS bene intellexit, sed peregrinos plerique sensus in illum intulerunt. Unde mirum non est Philosophiam, qua Aristoteli-

ca appellatur, maxime fuisse de-turpatam. Summa igitur ARISTO-TELIS sit injuria, omnes Schola-sticorum absurditates illi attribu-en-do. Fatendum tamen est eum obseuro scribendi genere ad illas quodammodo caussam contulisse. Hanc autem obscuritatem fuisse non ingenii sed affectationis vi-tium indicatur ex iis, quæ refert Aut. Gellius, quod cum male habe-ret Alexandrum M. ARISTOTELI-LEM sua dogmata vulgo aperui-se, hic responderet ea & esse & non esse propalata, eos namque qui ipsum non audierint, nihil ex iis fore intellecturos.

(s) De meritis ARISTOTELIS in Physicam vid. HALLERUM in Method. Stud. Med. pag. 51. Pri-mus, teste STRABONE, Biblio-thecam colligit; nec sine veritatis specie, multa illum ex ALCMAE-ONE, EMPEDOCLE aliisque ve-

quam Aristotelis sententias sibi explanari cupiunt. Si vero cognitionem dogmatum physicorum Aristotelis quis desideraverit (*s*), ipsius scripta sine commentariis & quidem græce legat (*t*). Cæterum de Peripateticæ Philosophiæ fontibus haud contemnenda refert Morbosius (*u*). Atque hæc de Historia Physices Gracorum. Cum vero hæc periodus etiam comprehendat tempus, quod inter initium Republicæ Romanae & ortam monarchiam intercedit, hoc loco observandum, Scientiam Naturalem istis seculis nulla a Romanorum studiis incrementa cepisse. Scientiæ enim omnes, teste Bruckero (*x*), non prius Romæ vestigia certa posuerunt, quam libertas eslet sub jugum missa. (*y*).

## §. X.

A seculo igitur U. C. septimo derivanda videtur

tutioribus sua collegis existimat  
SCHULETZIUS Specim. Histor. A-  
natomi. p. II. Singularia fuerunt  
hujus viri fata. Primo enim pla-  
cita ejus oraculorum instar per-  
totam terram venerata sunt. Postea  
ad alterum extremum delapsi Phi-  
losophi plane nullum illis pretium  
statuendum esse, nihilque illis vel  
falsius vel vanius esse annubabant.  
Existimatio quorundam similis est  
columnæ Mercurii in Barometro,  
qua inota ultra justos limites ex-  
surgit primum, mox vero depri-  
mitur, & post aliquod denum tem-  
pus ad statum medium justumque  
æquilibrium pervenit.

(*u*) Method. Studii Med. p. 52.

(*x*) Poliphil. T. II. Libr. I.  
Cap. VIII.

(*x*) Histor. Philosoph. T. I.  
pag. 42.

(*y*) Scientia autem naturalis  
serius quam reliquæ recepta est.  
Romana enim ingenia, ac usum  
reipublicæ omnia conseruentia &  
studijs tantum civilibus dedita, pre-  
tium non statuere scientiis, nisi  
quatenus civitatis florem promo-  
verent. Physica igitur, qua iis tem-  
poribus sublimem inutilitatem mag-  
is, quam communem utrum specie-  
bat, si non rejecta, saltem negle-  
cta est; que autem discipline,  
mores ciuium temperando, pa-  
triz amorem & legum jura firma-  
re videbantur, ex demum civi-  
Romane dignæ habebantur.

epocha exulta physicæ apud Romanos, cuius historiam separatam nemo, quantum n<sup>o</sup> tum est, dedit. Peti quædam poslunt e libro de *Philosophiæ apud Romanos initio & progressu*, *Pagan GAUDENII*, qui oratorem magis quam historicum agit. Meliora qui cupit, a primis fontibus hauriat necesse est. Neque vero ii innumerí sunt. *Tit Lucretium Carum (a)*, *Ciceronem (b)*, *Luc An. Senecam (c) & Plinium (d)* qui consuluerit, nihil (e) ad hoc argumentum pertinens magis desiderabit (f). Requirit ordo, ut nunc fontes historiae Philosophiæ Naturalis

(a) Scriptit de rerum natura libros VI, quibus in omnibus Epicureum se p̄ebet, Optime in illum commentatus est *Thom. Chreech, Anglus.*

(b) Pertinet hue versio tantum *Timæi PLATONIS* ab eo facta, quam de universitate inscripsit. Præterea passim aliorum placita recenseret, nihil ipse addit, magis de Historia Philosophica, quam de ipsa Philosophia meritus.

(c) Scriptit libros VII. *naturam questionum*; quibus Stoicorum inprimitis dogmata naturalia proponit, non omnibus ipse assentiens, aliorum tamen etiam sententias enarrat, non sine examine credendus. Vid. *Bruckeri Hist. Philos.* T. II. p. 558.

(d) Ex antiquioribus Scriptoribus nequæsi p̄spore diligentiam consultit ad colligendum varias sententias & inventa, quam *PLINIUS* in *Historia naturali* Lib. XXXVII. Quare illam ephu Amalthea veteris cognitronis appellat *BRUCKERUS*. Quanta lectione referitus sit

iste liber, ex verbis Auctoris in præfatione patet: *Viginti milia rerum dignarum cura ex lectione voluminum decim milium ex exquisitis auctoribus centum, inclusimus triginta sex voluminibus.*

(e) Addi his possent obsequiora nomina *Nigidii Figuli, Anaxilai Larissæi, Andronici, Aliiani* aliorumque.

(f) Romanos quidem Physicos habuisse constat, nulla tamen ex illis incrementa cepit scientia. Quicquid enim habebant a Græcis habebant. Erantque omnes illorum libri Physici aut Commentarii, aut citationes, aut versiones Græcorum.

(g) Physicam Patres Ecclesiæ in primis repudiarunt ob arctiorem nexus inter illam & Metaphysicam veterum Græcorum. Partim enim haec pestilentibus de Deo sententiis refuta erat, partim ex ea in Physicam impia degmata de mundi ortu & interitu irrepererant. Vid *BRUCKERI Hist. Philos.* T. III, pag. 356.

lis apud veteres Christianos (*g*) & Saracenos (*b*) explorremus, adeo autem arida fuere illa tempora, ut nullos ne quidem rivulos reliquerint. Sequentibus autem temporibus prorsus interiisse videbantur cum ingenio humano utilium scientiarum studia, & quidquid ex veterum Physica boni supererat, Logicæ & Metaphysicæ scoriis submersum, vanis subtilitatibus confundebatur. Quare ingenti saltu ad Seculum XVI (*i*) veniendum est, quo clarior aliquantum lux Philosophiæ Naturali cœpit emergere, cum auderent Philosophi Physicam Aristotelicam examinare primum, deinde vero improbare & refellere, meliora in ejus locum surrogaturi. Praeclarū hujus facinoris gloria primo tribui solet *Bernhardino TELESIO* (*k*). Illi addendi sunt eodem fere tempore *Tb. Campanella*, *Cl. Bergardus*, *Jordanus Bruns*, *Fr. Patricius*, *Honor. Fabri*, *Hieronym. Cardanus* aliique de restauratione Physices solliciti. Quid autem hi præstiterint, disci tantum potest

(*h*) De illorum Physica judicium facile ferri potest, cum constet eos ARISTOTELEM fuisse sequentes, ita tamen ut ad *Mohamedis* placita subinde respicerent. *Avicenna*, *Algazelius*, *Bachilius*, *Abulfarajus* & *Averrois* celeberrimi erant eorum Philosophi, Astronomiam non sequenter coluerunt. De fontibus Historia Philos. Saracen. Vid. BRUCK. Hist. Philosoph. T. III. pag. 5.

(*i*) Fatendum est tempore intermedio, etiam in Scholasticorum turba, fuisse nonnullos, qui clarius viderent quam reliqui, ut constat exemplo *Alberti Magni*, *Rogerii*

*Baconis*, *Arnoldi de villa Nova*, *Richardi Sniffeti* aliorumque; partim autem ex horum observationibus generalis Physica emendatio non evenerit, partim homines obscuri, quibus cum virere, non passi sunt ea naturali Scientiæ ex eorum studiis accendi lumina, quibus superstitionis tenebrae dispelliri potuissent. Merita tamen illorum apud Philosophica Historiæ Scriptores paucissim exponuntur.

(*k*) Hujus viri merita solide exposuit *Jo. Georg. LOTTERUS* in libro eruditio de vita & Philosophia Bernh. *TELESII*. Lips. 1733. 4:o.

test ex iis, quæ de historia Physices illorum temporum  
sparia apud totius Philosophiæ historicos inveniuntur.

## §. XI.

Attamen horum conatibus macula ex Scholasticis abstractionibus & subtilitatibus hæsit, quam penitus eluere & Physicæ nitorem naturalem reddere nemo ante BACONEM VERULAMIUM ausus est (*a*). Is primum damna ex auctoratum præjudiciis in Physica enata solide demonstravit, omnemque veritatem naturalem certa experientia quam vagis ratiociniis nisi debere docuit, tum calculo mathematico firmamdam. Quod eodem fere tempore præstare conati sunt, in Italia *Galiæus*, in Germania vero *Dan. Sennertus* & *Job. Sperlingius*. Effulgit deinde magnum CARTESII ingenium, quod plusne boni an mali in Physica præsterit, dubitari a nonnullis solet. Cum vero præter inventa specialia, quibus scientiam ditavit, Philosophis utilèm dubitationem adhibendam esse docuerit, causasque phænomenorum etiam a priori investigandas, multis nec sine ratione consentientibus, contenderit, illi insigñem omnino locum in Historia Philosophiæ Naturalis

D

tribu-

(*a*) Natum erat hoc scientiarum lumen a. 1651. obiit 1626. Ingenium universalissimum omnes scientias complexum est, aptaque ab ineptis partim in methodis partim in rebus ipsis accurate secrevit. Et si vero in Physica non multa ipse examinaverit, viam tamen sequentibus aperuit, eui insistentes Scientiam ad præsentem perfectionem perduxerunt,

Nec reticendum est multos nostro aëro de inventis gloriari, quorum semina a VERULAMIO sparsa inveniuntur. BACONI coxus fuit GILBERTUS, etiam Anglus, cuius memoria vel eo nomine in Historia Physices locum sibi vindicat, quod experimentis in naturam magnetis explorandam institutis, 50000 nummorum impenderit.

tribuendum esse quisque fatebitur (b). *Cartesum* secutus est *Isaacus NEWTONUS*, qui divina ingenii vi Philosopham Naturalem non tantum egregrie auxit, sed novis etiam partibus ditavit, vera & genuina methodo in *Physica introducta*. Cum magnis hisce triumviris in eundem finem consiparunt eorum vestigia prementes: *M. A. Dominis*, *Gassendi*, *Toricelli*, *Robault*, *Fr. Boyle*, *R. Boyle*, *O. Guericke*, *J. C. Sturmius*, *E. Hales*, *Havkesbē*, *Hartsoeker*, *La Hire*, *Hook*, *Leuvenbak*, *Gray*, *Pascal*, *Huyguens*, *Mariotte*, *Molières*, *Poliniere*, *Keil*, *Dufay*, *Desagulieres*, *S. Gravesande*, *Amontons*, *Reaumur*, *Musebenbrāk*, *Nollet* & *Celeberr Bernouilliorum* familia, ut alios multos non minoris famæ præteream. Jam vero,

(b) Nostrum non est tanti viri contra tantos hoc loco defensionem suscipere. Ut tamen apparet quid de illius meritis Physicis sentiendum sit, paucis & quæ ipsi virtus verti solent & quæ laudem mereri videntur exponam. Objicitur nempe Cartesio, quod a propria regula, *nihil esse recipiendum nisi quod evictum sit*, recepiens, pulcas quasdam fabulas pro principiis physicis venditaverit, & hypothesin, qua phænomenis responderet, utilem judicaverit, donec accurior adseretur. Quibus maxima cum damna in artem præcipue medicam intulisse observat, qui ej maxime infestus est, *HALLERUS*, *Method. Stud. Med.* p. 57. Id autem honori ei tribui sollet, quod generales quasdam nature leges dari observaverit easque esse querendas, omnesque nature operationes mechanice expli-

candas. Ut autem in meditando, ita etiam in experiendo methodo utendum esse dixit, quare excoigitari, debere hypotheses, ad quas examinandas instituta experimenta, rerum caellas aperire facilis possent. Alter quidem experientia instituens, similis est ei, qui vel in tenebris, vel obductis oculis ambulans, quævis alia, quam que invenire cupit, manibus palpat, vel etiam apertis oculis procedens, in mari herbas & in pratis pisces querit. Non igitur sine ratione hypotheses in *Physica introducta* videtur; de iis tamen ipse modeste ita pronuntiat: *Quamvis forte hoc patto intelligatur, quo modi res omnes naturales fieri potuerint, non tamen ideo concludi debet ipsas revera sic factas esse. Princip. Philof. P. IV. §. 204.* Digna sunt, quæ hoc loco adserantur verba Cel. D. ALEMBERT; *Recon-*

vero, ut ex his ad argumentum nostrum fiat applicatio, querendum est quinam historiam incrementorum Physices ex laudatorum virorum studiis, consignaverint. Universalem horum temporum Physices historiam a nullo haec tenus traditam invenimus; Laudanda tamen est Dissertation, quam sub praesidio Celeberr. C. Fr. MENNANDER eo t. Phys. Profess. hodie Archiep. Reverendiss. edidit Cl. M. Rungén de *Incrementis Scientiae Naturalis ab ineunte hoc seculo (c)*, qua præcipua recentiorum inventa in tota Scientia Naturali generaliter & succincte recensentur. Ab aliis nonnullis idem argumentum variis locis tractatum est, hos autem, cum vix prima limina attigerint, silentio tanto magis prætereundos judicamus, quod novarum rerum, quarum generalior historia memoria adhuc tenetur, specialior tantum cognitio desiderari soleat. Hæc autem ex aliis fontibus, quorum enumerationem pars posterior Dissertationis nostræ exhibebit, haurienda est.

noissons que Descartes force de creer une Physique toute nouvelle, n'a pu la creer meilleure; qu'il a fallu pour ainsi dire passer par les tourbillons pour arriver au vrai systeme du monde; & que s'il s'est trom-

pé sur les loix du mouvement, il a au moins deviné le premier, qu'il devoit y en avoir. Discours prélimin. de l'Encyclopédie, p. m, 95.  
(c) Aboz 1750, 4.



which had rendered me unable to do so, but  
I have now got well again, and am now  
able to go about more freely, though  
I still feel some pain in my shoulder.  
I am now able to go about more freely,  
but still feel some pain in my shoulder.  
I have now got well again, and am now  
able to go about more freely, though  
I still feel some pain in my shoulder.  
I have now got well again, and am now  
able to go about more freely, though  
I still feel some pain in my shoulder.

I have now got well again, and am now  
able to go about more freely, though  
I still feel some pain in my shoulder.